DISPUTATIO
MEDICA INAUGURALIS,
DE
AQUA TRAUMATICA GALLORUM
EAV D'ARQUEBUSADE
DICTA,
Quam
DEO TER OPT. MAX. SOLO ADJUVANTE,
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ
IN
PERANTIQUA ELECTORALI
ACADEMIA HEIDELBERGENSI
PRO LICENTIA
Summos in Arte Medicâ Honores, ac Privilegia Doctoralia legitime obtinendi,
PUBLICO AC PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI
IN AUDITORIO MAJORI
Ad diem XV. Octob. MDCCXXII. horis ſuetis ſubmittit.

PHILIPPUS HIERONYMUS MÜLLER,
DICTUS WOHLHEIMER VVormatienſis.

HEIDELBERGÆ, ex Typ. Elect. Aulico-Academ. per Andream Hörth.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO

Excellentissimo, Experientissimo, & Clarissimo, Domino

DANIELI NEBELIO

MEDICINÆ DOCTORI, EJUSDEMQUE PROFESSORI IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI PRIMARIO, NEC NON SERENISSIMI ELECTORIS PALATINI MEDICO AULICO

CELEBERRIMO.

Patrono, Fautori, Promotori, ac Præceptori suo omni honoris & observantiæ cultu
æternum,
demisse colendo.

PROSPERRIMA QUÆCUNQUE
Perennantem Sanitatem
SPLENDIDIDISSIMÆ FAMILIÆ
Jugem æque, ac lætissimum florem
Rerumque omnium prosperrimos successus
Votis,
Queis potest,
Ardentissimis
Optat,
Seque
Juxta & hoc.
Laborum studiorumque suorum
Academicorum
Exiguum Specimen
In
Publicum,
Gratæ ac devotæ mentis,
Qua
MAGNI VIRI
TANTIQUE PATRONI, AC PRÆCEPTORIS
Magna & innumera
In se merita colit,
Monumentum.

ET

ET
Ulteriorem ſtudiorum ſuorum qualiumcunque
Commendationem
Submiſſa, qua decet,
Obſervantia
Conſecrat, dedicat.

SUÆ EXCELLENTIÆ

Indefeſſus & obſequioſus cultor

PHILIPPUS HIERONYMUS MÜLLER
dictus WOHLHEIMER.




PROOEMIUM.



Hirurgiam quæ manu curat, Medicinæ partem esse vetustissimam, & omnium evidentissimam, præstantissimamque, rectè C. Celsus de Medicina in præfat. lib. 1. & l. 7. *scripsit, & eandem primum terminis inclusam ac rudiorem ab* Hippocrate *magis, quam à prioribus Medicis excultam, posteaque in Ægypto, Græcia, & Italia, speciatim Romæ à celebrioribus Viris, medendi peritis, paulatim novis inventis scriptisq; auctam & amplificatam fuisse retulit. Fuit tamen hæc antiquorum ars, quæ manu plurimum præstat, illis temporibus, adhuc dum valde imperfecta tam ratione modi, quo operationes Chirurgicæ administrabantur, quam intuitu instrumentorum, quibus eædem perficiebantur, unde seq. seculis majore cura ac industriâ singularique sagacitate Chirurgia exercita, illustrata, & ad altius fastigium evecta fuit, tot non solum feliciter institutis manuum operationibus quæ Veteribus ex parte prorsus incognitæ erant, in difficillimis & ancipitis eventus morbis, simulque noviter inventis magis idoneis instrumentis, quibus dextrè adhibitis illæ operationes facilius ac tutius peraguntur sed & excogitatis varii generis Medicamentis tam internis, quam externis, quorum usu finis ac scopus chirurgorum breviori tempore & majori securitate attingitur. Inter hæc posteriora, locum omnino meretur* Aqua Gallorum Traumatica quam Eau d'Arquebusade *vocant, inter Medicamenta Vulneraria noviter inventa & internis æque ac externis usibus destinata, haud postrema, de cujus præparatione, viribus, usu, & abusu paucula in studiorum meorum qualecunque specimen nunc proferam, & Eruditorum publico Examini subjiciam; DEUS T. O. M. conatus meos Clementissime secundet.*

CAP.



CAP. I.

DE

Inventione & Præparatione hujus ▽æ traumaticæ.



QUi primitus ſub finem præteriti ſeculi mentionem fecerunt hujus Medicamenti vulnerarii, & illud ſub titulo *Eau d'arquebuſade*, deſcripſerunt, fuerunt Galli, qui dum artem Chirurgicam magis excoluerunt, in curandis ſclopetorum vulneribus hanc ▽am valde proficuam obſervarunt, ejusque uſum in ſuis ſcriptis ſub hoc Gallico nomine publico commendarunt, inter quos recenſendus *Nic. Lemery* qui in *curſu chymico edit. undecimæ p. 649. ſeq.* deſcriptionem ▽æ vulnerariæ Gallis Eau d'arquebuſade dictæ manifeſtavit

℞. fol. & radicum conſolidæ maj. ſ. Symphyt. maj.
Herb. Salviæ
Artemiſiæ
Bugulæ ſ. conſolidæ mediæ ã. m. IV.
Betonicæ

San-

Saniculæ
Bellidis majoris
minoris
Scrophulariæ maj.
Plantaginis
Agrimoniæ
Verbenæ
Abſynthii
Fœniculi ā. mij
Hyperici perforati
Ariſtolochiæ longæ
Telephii vulg. ſ. fabariæ
Herb. Veronicæ
Centaurii minoris
Millefolii
Nicotianæ
Piloſellæ ſ. auriculæ muris,
Menthæ
Hyſſopi. ā. mj.

Inciſa & mixta contuſaque in mortario immittantur in vas fictile operculo probe clauſum dein affundantur vini albi ℔ xxiv. probe permiſceantur, & poſtea bene tecta digerantur per triduum ſub fimo calido, vel in alio loco calefacto, tandem per veſicam cupream intus ſtanno obductam, impoſito alembico roſtrato, & adaptato vaſe recipiente vitreo deſtillentur igne modico, juxta artis chemicæ regulas, ad prolectionem dimidiæ partis ſ. ℔rum xii. quæ ſeorſim aſſerventur in vaſe probe clauſo. Reſiduum herbarum ſacculo linteo incluſum exprimatur, ſuccusque inde profluens rurſus in balneo vaporis vel Maris deſtilletur leni △ne & ſeparatim in vitro reſervetur. Expreſſa herbarum maſſa ſenſim exſiccata & combuſta, affuſione ▽æ calidæ lixivium ſiſtit, è quo divaporato ⊖ habetur

fixum

fixum, quod in ▽a ſecunda vice deſtillata ſolutum, eidem majorem detergendi ac reſolvendi vim communicat.

Hactenus *Lemery*, quo cum per omnia fere conſentit *D. Anel* in *tr. L'Art. de ſuccer les plaies p. 49. ſeqq.* niſi quod XII. ſaltem libras vini vegetabilibus, ex quibus ▽a noſtra traumatica prolicitur, affundi jubeat, atque ita ⌒oſam magis ac penetrantiorem per deſtillationem obtineat, qualem etiam deſcriptam legimus in *Dictionaire Botanique & Pharmaceutique p. 153.* & apud plures modernos rei Medicæ atque Chirurgicæ Scriptores Gallos, quorum veſtigiis inſiſtentes Germani Aquam noſtram vulnerariam non ſolum in uſum vocarunt, ſed etiam in ſuis libris commendarunt, & vario modo parandam voluerunt, inter quos referendus Celeb. *Th. Zvvingerus*, qui in fine *Theatri Praxeos Medicæ p. 593.* Gallorum Eau d'arquebuſade ſeq. modo confici tradit. Rec. Herb. ſalv. artemiſ. conſol. maj. brunell. ſanicul. bugul. virg. ☉eæ, bellid. min. & maj. plantag. utriusque, beton. agrimon. verben. hyperic. taraxacon. absynth. fœnicul. rad. ſcrophul. ã. miij. vini alb. opt. Mvj. ita ut mens. ſit IV. libr. Herbæ omnes mundatæ & contuſæ vaſi idoneo immittantur, dein vino infund. & digerantur per aliquot dies, tandemque deſtill. ſ. a. & extrahantur 7. l. 8. libr. uſuique aſſerventur. Compendioſior eſt deſcriptio ▽æ noſtræ, quam exhibet Cl. *Gohlen* in *notis ad Tobiæ* Schützens Chirurgiſchen Handleiter *p. 28.* Rec. herb. ariſtoloch. artemis. virg. ☉eæ ſalv. min. ã. miv. agrimon. alchymill. bellid. maj. & min. beton. buglоſſ. fœnicul, hyperic. plantag. latifol. & anguſtifol. ſanic. ſcrophul. verben. ã. mij. mixtis & contus. omnibus affund. vini Gallici opt. ℔x. diger. aliquamdiu & dein per cucurbitam vitream ex balneo Mariæ deſtillentur. Ex præmiſſis patet, ubivis conſimilem in ſcriptoribus Medicis ō. reperiri deſcriptionem ▽æ vulnerar. Gallor. quam quidam ex pluribus, alii paucioribus numero, ſelectioribusque plantis majori l. minori vini quantitati infundendis per deſtillationem parandam eſſe voluerunt, quo modo ▽a habetur plus minus ⌒oſa ſ.

 multis

multis imbuta particulis ⊖nis Volat. & 🜍reis subtilibus copioso phlegmate dilutis, quibus humorum circuitum in partibus vulneratis contusis, dissolutis, & exulceratis promovere, putrida â sanis & incorruptis separare, purulenta abstergere ac corrigere, consolidationemque vulnerum & ulcerum promovere & præstare valet, si debito tempore ac modo inusum vocatur. Ut autem pateat, quinam modus ▽am nostram vulnerariam parandi sit optimus, singula illius ingredientia juxta ductum *N. Lemery* in examen vocabo, &, quænam præ ceteris seligenda sint, paucis indicabo, ut sic Medicamentum traumaticum habeatur multi usus ac emolumenti. Primum inter illa locum tenet *radix* & *herba consolidæ majoris* s. *Symphyti*, quæ quidem bonum est & usu probatum traumaticum, quia multo scatet humore mucilaginoso, pauco ⊖le salso & parciore 🜍re fœto, quo sanguinis & lymphæ acrimonia mitigatur, & nimia fluiditas emendatur, fibræque partium solidarum dissectæ vel erosæ conglutinantur, si illius ♃is, decoctum, pulpa insyrupum vel conservam cum saccharo redacta, mucilago item expressa & extractum pro usibus internis, externe vero illius succus vel magna in usum debitè vocatur. Sed quia hic humor mucilaginosus symphyti in destillatione non transit per alembicum, frustra, me judice, hæc planta nostræ ▽æ vulnerariæ admiscetur. Majori vero cum emolumento assumitur 2. *Salvia*, quæ male â bufonibus sub ea sedentibus suspecta redditur, & magnæ efficaciæ traumaticum & ulcerarium, nec non cephalicum ac nervinum est, suo ⊖le ℥li & Sulph. quo vinum, cui infunditur, per destillationem imbuit, humores tenaces, præsertim nervis fibrisque motricibus impactos, resolvendo, sanguinem tardigradum attenuando, ~tus expandendo, & tonum partium solidarum roborando, unde in paralysi, vertigine, tremore, apoplexia, catharris admodum proficua est, pro internis usibus, uti pro externis ejus decoctum vel ▽ cal. s. vino per se l. admixtis aliis competentibus destillata ad aphthas & scorbutica oris fauciumque ulcuscula, nec non vulnera sclopetorum tumores-

que serosos partium corporis externarum, quos brevi discutit. Nobile hinc est ingrediens ▽æ nostræ traumaticæ, quam penetrantiorem reddit. 3. *Artemisia* ⊖le suo)(cali & Terrest. multo subtilique Sulph. imbuta humores crassos dissolvens, & inde natas obstructiones aperiens, sicque inflammationes discutiens ac gangrænam arcens. Summe utilem propterea in vulneribus sclopetorum sæpius observavit *Theod. Tabernæmont.* intus & extus adhibitum Artemisiæ recentis ac tritæ vinoque infusæ succum expressum, quem in *Herbario suo f. m.* 34. ut usu probatum valde commendat.

4. *Bugula*, quæ communiter *Consolida media* vocatur & mense Majo atque Junio, quo floret, collecta, ceterisque herbis, ex quibus Aqua traumatica nostra paratur, admixta, parum virtutis eidem communicat, quia ⊖ fixum pauco Sulph. commixtum, & multo phlegmate viscoso obnuptum per destillationem non omne educitur ex herba, vinoque affuso permiscetur. Unde infusum & decoctum hujus herbæ recentis stillatitiæ illius Aquæ longè præferendum in vulneribus & ulceribus partium tam internarum, quam externarum, potestque ex hac herba viridi & efflorescente cum sanicula & scabiosa in butyro insulso ac Majali leviter frixa ac expressa, unguentum traumaticum parari usu probatum.

5. *Betonica* copioso suo Sulph. & pauco ⊖le ♃li multoque fixo vulneribus & ulceribus detergendis, demulcendis ac consolidandis dicata laudem quidem etiam meretur inter ingredientia ▽æ vulnerariæ Gallorum, sed tamen majorem efficaciam præstat in his casibus, si in ♀re vel infuso Theæformi pro usibus internis exhibetur. Herba vero recens contusa ac tepide fronti ac temporibus admota cephalalgiam & odontalgiam mitigat, nervorum spasmum demulcendo. Quid ceratum de Betonica in vulneribus capitis & hemicrania præstet, jam tonsoribus satis notum est.

6. *Sanicula* vergente vere recens collecta, cum efflorescere incipit, per destillationem primo liquorem acidiusculum & postea ⌒tum ⊡sum cum multo Sulph. præbet, relictis copiosis particulis

⊖nis fixis & terreſtribus, & proinde ▽æ vulnerariæ noſtræ recte ſuperadditur, quia illius infuſum, deſtillatum & decoctum internè & externè adhibitum vulnera conſolidat & ulcera mundificat, ipſaq; herba variis ꝏis, unguentis & emplaſtris vulnerariis utiliter admiſcetur.

7. *Bellis major* atque *minor* cum floribus recens collecta reliquisque herbis pro paranda aqua traumatica ſuperaddita ſuum ⊖ atq; ♀: ſubtile vino △is blandi adminiculo facile communicat, adeoque ſuum quoque ſymbolum confert ad exaltandas ▽æ noſtræ vires, licet infuſum, Decoctum, & extractum utriusque bellidis in uſibus traumaticis etiam ſit commendatiſſimum, ceu patet ex *D. Fabri* Med. Doct. Fautoris & Amici mei honoratiſſ. *diſp. inaug. de bellide minore.*

8. *Scrophularia major ſ. vulgaris* multo turget ⊖le ✳cali & Sulph. minus defœcato, quo humores viſcoſos reſolvit, acres temperat, fibras partium ſolidarum irritatas demulcet, ſicque dolores ſopit, & tumores, præſertim inflammatorios atque ſtrumoſos diſcutit, nec non vulnera ulceraque, ſpeciatim nervoſarum partium, etiam ſordida mundificat, & ad conſolidationem diſponit, propterea que ſpeciebus ▽æ Sclopetariæ Gallorum non ſine ratione permiſcetur; maximè cum ejus ▽ deſtillata in gutta roſacea & puſtulis faciei aliarumque partium pro lavamento utiliter adhibeatur.

9. *Plantago*, præſertim cum floribus ſuaveolentibus collecta, gaudet in receſſu ⊖e ⊕ſo multis particulis Sulph. blandis & terreſtribus referto, unde deterſiva non minus, quam reſolutiva & aperitiva illius vis deducenda, ob quam recte ad conficiendam Aquam noſtram traumaticam requiritur; maximè cum in vulneribus & ulceribus partium externarum æque ac internarum hæmoptoe phthiſi, mictu cruento & hæmorrhagiis omnis generis, tam pro internis ac externis uſibus plantaginis ſuccus expreſſus, extractum, decoctum & Aqua deſtillata hactenus magno cum ſucceſſu adhibita fuerint.

10. *Agrimonia* ⊖ continet ſalſum cum pauco Sulph. & multa Terra permixtum, quod aperit, detergit, & reſolvit, partium to-

num

num firmat, & vulnera consolidat, ulcera item, speciatim hepatis, renum & vesicæ, mundificat, & tumores scirrhosos, maxime testium nendum inveteratos, discutit, vino incocta, vel cum eadem destillationi subjecta, recensque trita, ac partibus affectis tepide imposita. Hinc vires ▽æ nostræ traumaticæ non minus augere valet. 11. *Verbena* magnam habet vim traumaticam & ulcerariam, simulque anodynam ob particulas ⊖nas ⋇cales cum multo Sulph. blando conjunctas, quibus incidit, aperit, detergit, dolores præsertim capitis sopit, vulnera & ulcera consolidat, tam recens trita & partibus affectis admota, quam expressa pro extracto inde parando, & destillationi subjecta. Ut inde habeatur Aqua maculas oculorum abstergens, & visum acuens, vulneraque ad consolidationem disponens, maxime si cum vino una cum aliis idoneis herbis igni exponitur. Ratio hinc satis, me judice, patet, cur verbena Aquæ vulnerariæ Gallorum addita fuerit. 12. *Absynthium vulgare* sale suo salso & Sulph. balsamicam Aquæ nostræ traumaticæ virtutem intendere, atque ita eam aptiorem reddere potest ad vulnera & ulcera mundificanda, præsertim si putrida & verminosa fuerint, in quibus decoctum absynthii est egregium, uti etiam in gangræna arcenda; non secus ac 13. *Fæniculum*, quod ⊖le suo ♄li & ♂so, quod Aquæ sclopetariæ largitur, circuitum humorum in vulneribus & ulceribus promovet, tonumque partium corroborat, ac simul putredini resistit, speciatim autem oculis languentibus, pectori læso & viscidis humoribus infarcto, ventriculo ac intestinis flatu distentis, & membris, præsertim a ☿rio quovis modo admisso, trementibus succurrit: Hinc non inutile est ingrediens Aquæ vulnerariæ nostræ, quæ recipit etiam. 14. *Hypericum perforatum*, cujus summitates floridæ multum resinæ balsamicæ continent, qua sanguinem coagulatum resolvunt, ulcera mundificant, & vulnera consolidant, nervosque irritatos placant, unde unum ex præcipuis ingredientibus est Hypericum, vulnerarium usu probatum, quale quoque est. 15. *Aristolochia longa vulgaris* cujus vis traumatica, sarcotica, & epulotica, quæ pauco ⊖i ⋇li multo

 Sulph.

Sulph. impraegnato plurimisque particulis terrest. permixto debetur, per experientiam satis innotuit, propterea que haec planta infusis decoctis, destillatis, & ℞is essentiisque traumaticis & ulcerariis frequenter admiscetur, simulque fomentis & injectionibus discutientibus ac detergentibus superadditur pro tumoribus, inflammationibus & doloribus, sordibusque vulnerum atque ulcerum tollendis fistulisque mundificandis. Quam efficaciam infusum foliorum Aristolochiae longae quotidie haustum in praecavenda Phthisi post haemoptoen habuerit, *Fr. Hoffmannus* in *Clave Schröd. p. 413. & seq.* commemoravit. Decoctum radicis cum Aqua veronicae paratum & cum linteolis admotum pertinacissima & cacoethea tibiarum ulcera persanasse *S. Paulli* in *quadripart. Botan. p. 22.* refert. 16. *Telephium* s. *Fabaria* item *Crassula* dicta multo quidem scatet Phlegmate mucilaginoso, in quo tamen parum Sulph. & plus ⊖is aluminosi & ✳lis continetur, cujus vi subadstringente & abstergente vulnerum ac ulcerum consolidationem promovet. An autem cum vino destillata eundem praestet effectum, dubito, quia vis ejus traumatica per alembicum non transit. Unde Aquam nostram vulnerariam sine addito Telephio nihilo deteriorem esse puto. 17. *Veronica vulgaris repens*, hodie decantatissima ob vim diaphoreticam, diureticam, pectoralem, & traumaticam, quam debet ⊖li incisivo admodum subtili, & cum Sulph. volatilibus Terreisque fixis combinato, cujus activitate non solum humores crudi & tenues visceribus & speciatim bronchiis impacti resolvuntur, obstructiones inde productae reserantur, & quisquiliae Massae humoralis subactae per sudorem, sabulosique renum lapilli per diuresin educuntur, sed etiam vulnera & ulcera, praesertim sinuosa internarum & externarum partium mundificantur, & ad consolidationem disponuntur, si herba recens atque florida aquae incoquitur l. cum eadem repetitis vicibus destillatur, siccata vero fervidae aquae instar Theae infunditur, aut inde extractum paratur; externis aeque ac internis usibus in praedictis corporis regionibus destinatum, Aqua veronicae cum vino destillata & cochleatim assumta egregium est Medicamentum tonicum, quod

in tussi pectorali humida & ulcere pulmonis, nec non Asthmate senili ex pectoris flacciditate paralytode, teste *Junckero in c. chir. 77. p. 528.* ut & in vulneribus ulceribusque internis ac externis specifice prodest. 18. *Centaurium minus* bonum quidem est detergens & putredini resistens, si ejus decoctum cum aliis Traumatico-Balsamicis atque amaris paratum ulceribus putridis & fistulis per siphonem infunditur; cum vino vero destillatum parum sui Sulph. & nihil ferè ⊖ is fixi largitur; hinc ex numero vegetabilium, è quibus Aqua nostra traumatica conficitur, vel excludi, vel eidem *Scordium*, aut *Tanacetum*, substitui potest. 19. *Herba millefolii vulgaris floribus albis* ⊖ habet Osum & Terrest. pauco Sulph. mixtum, quod per destillationem non producitur, & hinc Aqua stillatitia ex herba millefolii parata nullam obtinet vim traumaticam, quam magis exerit decoctum & succus expressus hujus plantæ recentis manifeste adstringens, vulnera consolidans, hæmorrhagias & alvi fluxus sistens. In fl. autem millefolii graviusculum odorem spirantibus Sulphur resinosum copiosius hæret, quod vim quoque habet traumaticam, & valde resolventem, unde horum florum theæforme infusum l. essentia cum Vni per digestionem parata in attenuando corrigendoque hypochondriacorum & melancholicorum, nec non hæmorrhoidibus cœcis vexatorum, sanguine fœculento insigniter conducit, non secus ac ∇a ex his floribus cum vino parata l. destillata, cujus superficiei innatare solet ♁ subtile eleganti colore cœruleo tinctum, quod in prædictos usus pro balsamico resolvente ac detergente interno & externo seorsim asservari meretur. Quod si igitur millefolium cum suis fl. reliquis ∇æ nostræ vulnerariæ ingredienti admiscetur, inde Aqua ⏜osior magisque penetrans habetur. 20. *Nicotiana* s. *Tabacum* satis commendatum quidem est traumaticum & ulcerarium, ⊖ e subtili incisivo & multo Sulph. narcotico turgens, cujus activitate herba recens & succus expressus foris admotus tumores duros, speciatim lienis, eorumque dolores discutit, & vulnera recentia consolidat, ulceraque inveterata detergit, ac eorundem consolidationem promovet. Cum vino autem destillata Nicotiana Aquæ

pro-

prolectæ vim emeticam infert, ob quam hæc herba ingredientibus Aquæ traumaticæ Gallorum, quæ quidem pro usibus internis asservatur, minus bene superadditur, rectius juxta alios rejicitur. 21. *Pilosella major repens* s. *Auricula muris* ⊖ continet aluminosum multo Sulph. copiosis particulis Terrest. permixtum, quo modice adstringit, detergit atque siccat, hocque modo vulnera & ulcera consolidat, tam extus adhibita herba, quam pro internis usibus Aquæ fervidæ infusa l. decocta: Per destillationem nil nisi parum Sulph. fundit, unde ingrediens haud adeo necessarium & utile esse videtur in Aqua nostra traumatica, quæ majorem vim acquirit ab admixta 22. *Mentha* vel *crispa* s. *hortensi* vel *Sylvestri*, cujus ⊖ volat. ☊sum, quo scatet, valde activum est & penetrans tonum partium solidarum corroborans & humorum motum promovens, simulque gangrænæ ac putredini resistens, quod etiam præstat 23. *Hyssopus* ⊖ e suo vol: & Sulph. acriore, cujus energia in humore viscido pulmonis incidendo & ad expectorationem promovendo, sanguine coagulato resolvendo, tonoque viscerum firmando, ulceribus it. detergendis, & gangræna arcenda satis cognita est. Unde reliquis plantis balsamico-traumaticis pro conficienda Aqua Sclopetaria Gallorum non sine ratione additur. Et hæc quidem vegetabilia sunt, quæ magno numero requiruntur pro confectione Aquæ nostræ vulnerariæ. A nonnullis autem hic numerus plantarum diminuitur, & quædam earum plane rejiciuntur, aliæ verò substituuntur, uti in descriptione Cl. *Zvvingeri* loco *Aristolochiæ longæ*, *Fabariæ*, *Veronicæ*, *centaurii minoris*, *Millefolii*, *Nicotianæ*, *Pilosellæ*, *Menthæ*, atque *Hyssopi* assumuntur *Brunella*, *virga aurea* & *Taraxacon*; in Cl. *Gohlii* vero formula breviore omissæ *consolidæ majoris* atque *mediæ*, nec non *absynthij telephii*, *veronicæ*, *cent. min. millefol. Nicotian. Pilosell. Menth. & Hyssop.* substituuntur *virga Aurea*, *Alchymilla* & *Buglossum*. Singula subordinata paucis quoad vires, quas Aquæ nostræ traumaticæ largiri possunt, explorabimus. *Brunella vulgaris* s. *latifolia* sale scatet Ooso & Sulph. multis particulis Terrest. combinato, quo vulnera conso-

lidat

lidat ulcera mundificat & hæmorrhagias ſiſtit in Aqua decocta & cum melle epota, vel cum aliis competentibus extus adhibita, & inſtar gargariſmi ad prunellam, aphthas & faucium ulcera in uſum vocata, deſtillationi v. expoſita iners phlegma præbet. *Virga aurea latifolia* quæ communiter infuſis, decoctis, & eſſentiis traumaticis ſuperadditur, Sal. inciſivo fixo gaudet, multis particulis Sulph. & Terreſt. fœto, quod per deſtillationem ſummitatum floridarum hujus plantæ vino infuſarum parcius prolicitur, & propterea talis Aqua ſtillatitia infuſo & decocto hujus plantæ merito cedit in vulneribus & ulceribus conſolidandis ac hæmorrhagiis omnis generis ſiſtendis l. compeſcendis. *Taraxacon* rectius *Dens Leonis* à foliorum forma dictum, ſucco, quo turget, lacteo & amaro cui multum ⊖is ♀ei eſſentialis atque ♁is craſſioris ineſt, egregie detergit, aperit, humores tenaces reſolvit & per vias ⊡rias educit, ſimulque vulnera ad conſolidationem diſponit, parum autem ſui ⊖is atque Sulph. vino per deſtillationem communicat, unde haud adeo neceſſaria eſſe videtur pro Aqua Gallorum traumatica præparanda, uti etiam *Bugloſſum vulgare majus* cujus ſuccus viſcoſus ⊖e ✳li blandoque Sulph. quod in floribus magis ſubactum & attenuatum eſt, fœtus, conglutinandis vulneribus & ulceribus quidem ſatis aptus eſt ſed per alembicum non educitur, proptereaque hæc planta fruſtra ſpeciebus pro Aqua noſtra ſclopetaria adjicitur, niſi quis ab admixtis recentibus Bugloſſi floribus vim aliquam analepticam eidem conciliari putet, de qua tamen valde dubito. *Alchymilla* vulgaris, partibus ſuis aluminoſo Terreſt. valde adſtringit, & ſanginis profluvia, ab ejus orgaſmo nata ſiſtit, vulnera & ulcera conſolidat, variis partium procidentiis medetur, ſub ♄ris, infuſi, decocti, cataplaſmatis, l. balnei forma in uſum vocata, deſtillationi vero ſubjecta inſipidum phlegma fundit.

CAP. II.

DE
Præparationis modo.

MOdum jam conſideraturi, quo conficitur ▽ noſtra traumatica, cujus ingredientium vires in præcedente capite expoſuimus, duo nobis hic probè notanda occurrunt; primo deſcriptio ipſa ſ. ingredientia, & 2do præparatio, ſ. modus parandi: Quod primum ſ. ingredientia attinet, ſunt ea ruſus duplicia, l. res ex qua, l. res cum qua paratur ▽a noſtra; ordine ut procedamus primo de re ex qua paratur Aqua paucula nobis dicenda erunt, res ex qua paratur ▽ Gallorum traumatica ſunt vegetabilia in cap. 1. fuſius deſcripta, quorum plura in uſum vocari, alia vero omitti poſſunt, uti jam in præcedentibus relatum fuit, nam in deſtil. eorum cum affuſo vino, non niſi particulæ Sal. ☿les, Sulph. & balſamicæ cum ▽ſo vehiculo alembicum tranſire poſſunt, quales in vegetabilibus quibusdam quæ pro conficienda noſtra Aqua vulneraria aſſumuntur, l. non ſunt, l. viſcoſo Terreſt. ſucco implicantur, uti in ſymphito, bugula, Telephio, centaurio min. herba millefol. virga aurea, Taraxac. & Alchimilla; Unde meritò concludo, prædictas herbas ex hac Aqua ſine virium diſpendio exeſſe poſſe; reliqua verò ingredientia, ſi ritè colliguntur, permiſcentur, & deſtil. exponuntur, haud contemnendam præbere Aquam; quoniam vero omnia hæc ingredientia non admodum ſunt ſucculenta, opus erat, addere menſtruum aliquod idoneum, quod vehiculum ſit partium per macerationem, & ſequentem deſtil. extrahendarum, quale eſt vinum album & generoſum, v. gr. Gallicum, Rhenanum, aut Moſellanum, cujus partes Aqueæ Sal. vegetabilium conquaſſatorum promte abſorbent, Sulph. vero atque ſubtiles 🝆ſas, & balſamicas facile extrahunt & cum iisdem coeunt, ſicque ſuppoſiti blandi ignis adminiculo prolicitur Aquæ

🝆oſa

~-osa & balsamica, in cujus præparatione observandum est, etiam alterum datæ descriptionis, & antea factæ distinctionis membrum quod est processus ipse, s. modus Aquam nostram vulnerariam conficiendi, in hoc 3a nobis rursus consideranda sunt, s. labor 3plex, quo absolvitur ejus præparatio, contusio sc. plantarum, harum sub fimo calido, cum vino, in vase fictili digestio per 3. ♂, & tandem in vase cupreo stanno obducto super lenem ignem destillatio: Primus labor s. contusio, uti faciliorem reddit secundum & ultimum laborem, sic quoque necessarius est, ut nempe vascula ac utriculi plantarum, quibus earum succus continetur, disrumpantur, & aperiantur, & humor inhærens exprimatur, simulque cum vino permisceatur; atque ita intimior fiat horum liquorum conjunctio, quam non solum promovet, sed etiam dissolutionem particularum Sal. & Sulph. quæ in vegetabilibus latitant, juvat, imo ipsas hasce particulas subdividendo & attenuando subtiliores & activiores reddit: secundus labor s. 3duana plantarum, jam vino intime permixtarum sub fimo calido l. alio loco calefacto digestio, qua magis commoventur, & exactius permiscentur, & evolvuntur, s. à suis Terrest. viscosisve compedibus liberantur, motuque ipso per externum calorem continuato disjunguntur ac subtiliores evadunt Sal. & Sulph. vegetabilium vinique moleculæ, quæ per tertium laborem s. subsequentem destill. in vesica cuprea, intus stanno obducta (ne activæ contenti calidique liquoris particulæ cuprum arrodant ejusque subtilia ramenta secum in destill. actu abripiant) evehuntur, & una cum Aqueis suppositi ignis minoris leni calore in vaporem resolutis particulis paulatim ascendunt in alembicum, ibidemq; collectæ sub ~-sæ & fragrantis Aquæ forma per rostrum sensim in adaptatum Vitrum recipiens destillant, hocque modo Aquam traumaticam s. Gallorum Eau d'Arquebusade sistunt, fit a. destill. eum in finem, ut partes subtiliores à crassioribus separentur & id quod optimum est in vegetabilibus eo melius ac purius seorsim haberi possit; lenis vero ignis adhibetur, ut primo subtilissimæ saltim plantarum particulæ transeant,

2do ut præcaveatur ſapor empireumaticus, qui, ſi fortior eſſet Ignis, ſtatim excitari poteſt; Ad hunc igitur præcavendum ſuadet Lemery, ut prolecta per deſtill. dimidia vini affuſi parte, hæc ſeorſim, ut 🜍ſior & melior aſſervetur, relicta vero herbarum maſſa adhucdum vino madida ſacculo incluſa ſub prelo exprimatur, ſuccusque profluens rurſus in B. l. MB. per cucurbitam vitream deſtill. quo modo habetur Aqua priori minus Spirit. ſatis tamen activa, quæ itidem in ſuos uſus reſervanda eſt. Ex reſiduo ab hac deſtill. ſenſim exſiccato & combuſto præcitatus *Lemery* affuſa Aqua lixivium parandum eſſe vult, ex quo per divaparationem Sal. habetur fixum, quod Aquæ ſecundum deſtillatæ ſuperadditum majores detergenac reſolvendi ſ. attenuandi vires conciliare putat. At ſi conſidero, quod 🜔ia fixa & lixivioſa plantarum traumaticarum, ſpecificam ſuam vim per ignis torturam amiſerint, & quod talia 🜔na vulneribus ac ulceribus extus admota eadem magis irritent quam ad conſolidationem diſponant, ſupervacaneum hunc laborem & inutilem, imo noxiam eſſe iſtius 🜔is cum 🜄a deſtill. mixtionem arbitror.

CAP. III.

DE
Uſu, Abuſu, & ſubſtitutis.

HEic cum de uſu 🜄æ noſtræ dicendum eſt, cumprimis occurrit, quod ſit vulneraria; quam virtutem dum penitius perſcrutamur, & proprie ſi vocem ſpectemus, merito cum *Chriſt. Joh. Langio in Oper. poſthum. part. 1. p.* 785. in verba hæc erumpere debemus, *ſi verum velimus fateri, proprie ſic dicta remedia vulneraria vix dantur, quicquid enim obſervamus conſolidari, ac Conglutinari denuò, id ſolius naturæ beneficio fit, quatenus ſc. iſta glutinoſos humores adducendo, novam cohæſionem disjunctarum, & regenerationem ablatarum partium producit.* Quod & hic locum habere poterit, nam hæcce 🜄a, tam primæ quam 2dæ deſtill. in vulneribus ſclopetariis à ſuis Inventoribus Gallis commendatur dum partibus pollet humores craſſos incidentibus, & ſtagnantes attenuantibus, indeque natos humores diſcu-

tientibus, ac tonum partium roborantibus, equidem id præſtat quod de eo prædicatur, non tamen aliter, quam humores in ſuo circuitu conſervando, & fibras partium læſarum firmando, ut actiones quæ antea ob tonum partium deſtructum læſæ erant, jam hoc reſtituto rite perfici poſſint; quod & ex ejus effectu videre eſt, dum nempe præſtans & ſpecificum eſt remedium in vulneribus ſclopetariis, in gangræna & ſphacelo præcavendo, cancroque curando, in quibus reſpiciendum tam ad humorum circuitum, quam ad reſtitutionem toni in parte læſa, ut corruptio gangrænodeo-ſphaceloſa impediatur, prout hoc bene monuit *Junck, l.c. tab. 57. pag. 396.* Uti autem primæ ☋nis ∇a penetrantior eſt, quam ſecunda vice prolecta, ità etiam in iis caſibus, ubi fortius agendum, huic præferenda eſt.

Sunt autem nonnulli, qui verum aquæ noſtræ traumaticæ uſum neſcientes, & ſpecioſo ejus titulo decepti, eandem, nullo ad circumſtantias habito reſpectu cochleatim exhibent, & applicant externè in omnibus fere vulneribus, hanc ſaltim ob cauſam quoniam ſemel vel bis proſperum ejus effectum in talibus caſibus viderint, ſed hic potius ejus eſt abuſus, quam genuinus uſus. Largimur equidem experientia Claris. Viror. convicti aquam hancce eſſe egregium traumaticum, inprimis in vulneribus ſclopetariis, ſi cochleatim per ſe exhibetur, & l. ſola, l.c. balſ. Arcæi; l. Eſſentia balſ. Stahl. mixta externe admovetur, quia non ſolum partes læſas roborat, d. m. ſeparationem carnis corruptæ promovet, & ſic ad maturiorem conſolidationem juvat, & quidem non ſolum in vuln. ſclopet. ſed & aliis inſtrumento findente factis, de quo exemplum legimus *in Act. Berolinenſ. volum: III. p. m. 178.* notatu dignum, quod nempe foemina quædam enſe lato in abdomine ità vulnerata, ut enſis ſupra umbilicum & dorſales vertebras inter primam & 2dam ſpuriarum coſtarum retrò numerando penetrarit, & Chirurgus omentum ad dimidii digiti longitudinem prolapſum præſcindere debuerit, accedente tuſſi ſicca & valde moleſta, interno & externo hujus ∇. æ. vulnerariæ uſu intra 4. ſeptimanas plenariè reſtituta fuerit. Sic alibi alia proſtant de ejus effectu proſpero exempla, ſemper tamen, quod probè

 not-

notandum, ad omnes circumstantias in his casibus est respiciendum, nam si febris supervenerit vulneraria tum circumspecte hæc aqua traumatica tam interne quam externe in usum vocanda est, quoniam est ∽osum & penetrans Medicamentum, quod motus febriles facile exacerbare potest, si paulo frequentius, aut largius adhibetur. Sic quoque ubi spasmi adsunt ob nervorum læsionem, vel deliria, plus nocet quam prodest nostra aqua, quia ∽tus, magis exagitat assumta, & irritatos nervos plus irritat, foris adhibita. Quod si verò ob stasin sanquinis in læsis dilaceratisque fibris partium sauciatarum, quod in vulneribus sclopetorum fieri solet tumor ac livor adest imminensque inflammatio & gangræna metuenda, aqua nostra traumatica tam primæ, quam 2dæ ♀nis internè & externè felici cum successu inusum vocatur, & quidem ad aliquot cochlearia exhibetur vel cùm infuso foliorum Theæ bibitur, vulneribusq; cum linamentis carptis admovetur & immittitur, vel infunditur, postquam extranea si quæ fortè illis inhæserint, uti globuli, panni, charta, ossis fracti spicula atq; consimilia, debitè extracta fuerint, & eschara digestivis emollita secesserit, ut sic pristinus in parte vulnerata restituatur circuitus humorum & speciatim sanquinis; cum quo serum gelatinosum ac nutritium adfertur, cujus affluxu & appositione non solum nova caro producitur, sed etiam cicatrix obducitur; In ulceribus, præsertim inveteratis, putridis, & sinuosis abstergendis & ad consolidationem disponendis, aqua nostra traumatica tam per se, quam cùm essent. myrrh. succin. & aloes mixta, valde proficua est, cum linteis vollis admota fistulisque per siphonem infusa, & tum interne cochleatim adhibita sola l. cum infusis herbarum traumaticarum Gallorum Eau de vin mixta quo modo vires corporis quoque reficit. In scorbuticis faucium ulceribus & oris aphthis pro mundificandi scopo ▽ nostra vulneraria secundæ destillationis subinde penicillo illita conducit. Quid etiam in cancrosis ulceribus mammarum, & aliarum partium suppuratione jam factâ per Medicamenta specifica celeb. *D. Korthöldi* virulentiaque cancri suppressa, pro detersione, emundatione loci affecti ejusdemque consolidatione promovenda;

eau

eau d'arqnebusade Gallorum primæ destillationis cum linamentis adhibita solitariè prodest, ex *Medicorum Vratislav. tr.* die Sammlung der Natur- Kunst Medicin- und litteratur geschichten dicto im Herbst- Quartal 1720. *p.* 461. satis patet. Nec solum hoc in casu externus aquæ nostræ traumaticæ usus est proficuus, sed & internus, circumspectus tamen, quoniam infusa, decocta, & destillata selectorum vegetabilium vulnerariorum in ulceribus etiam cancrosis felici cum successu hausta fuisse novi. Hinc non sine ratione *Paracelsus* ulcera cancrosa ab intra extrorsum curare docuit per potiones traumaticas, & mundificatorias, cel. *Stahl* autem observavit, quod antiqua ulcera, ad 18. annos gestata per sola talia interne exhibita vegetabilia sanata fuerint, ubi primum copiosus effluxus & paulo post spontanea siccatio & consolidatio successerint. Qnid autem aliud est nostra aqua vulneraria quam qninta essentia herbarum traumaticarum per destillationem extracta, quæ in prædictis affectibus in- & externè feliciter adhibetur? pro Panacea tamen in omnibus vulneribus, & ulceribus eam heic non commendamus, quin potius, ubi illa deficit, novi enim eam non in omnibus Germaniæ Pharmacopæis reperiri, utut in Gallia & Italia usitatissima sit, eidem substituendam esse putamus *Essentiam vulnerariam dispens. Brandenburg*, quæ ex rad. Alkann, rub. tinct. symph. maj. & tormentill, herb. Alchymill. Hed. terrest. perfoliat. Plantag. pyrol. & sanicul. nec non fl. hyperic. consol. maj. & saracenicæ bellidisque min. addita mumia (quam tamen exesse volumus) spirit. lumbric. terrest. & vino canariens. infusis posteaque expressis conficitur, vel *liquorem traumaticum*, quem *Excell. I. M. Verdries Med. Dr. & Profess. in Acad. Gissensi celeb. Patronus & Præceptor noster æternum colendus in Eph. N. C. G. cent. V. & VI. obs.* 17. descripsit, seq. modo ℞. Herb. beton. chærefol. pimpinell., pyrol. sed. maj. plantag. & foliorum teneriorum quercus q. v. incisa & contusa in mortario lapideo cum pistillo ligneo, torculari subjiciantur & succus bene exprimatur cujus ℔j. addatur tantundem 🜍ti vin. optim. & ☿ ℥j. digerantur hinc omnia in

vitro

vitro probè clauſo per octo dies in balneo arenæ deinde denuo ſuperfundantur herbis ſub expreſſione remanentibus, & deſtillent. leni igne in MB. Liquor alembicum tranſcendens ſervetur uſui, qui non ſolum vulneribus, cerebri profundioribus, clavo capiti canum viventium infixo factis, eadem conſolidavit, ſed etiam hæmorrhagias quasvis, ſpeciatim vulnerum ſuppreſſit, extus admotus, & dyſenteriam, Phthiſinque ſuſtulit, à gtt. 30. ad 60. cum commodo vehiculo aſſumtus. Non contemnendi quoque uſus eſt in vulneribus, ulceribus, contuſionibus, & ſuggillationibus ſeq. potus ℞. lap. 69. ℥iſs. NM. nro. I. talor, lepor. & mandibul. luc. piſc. ā. nro. V. mixta & croſſo modo contuſa immittantur cereviſiæ, cujus probè commotæ hauſtus ſubinde bibatur. Juxta hæc interna conveniunt quoque externa balſamica vulneribus præſertim ſclopetariis & ulceribus adhibenda, ac ▽æ. vulnerariæ Gallorum, ſi deſit, ſubſtituenda, inter quæ mihi arridet *linimentum digeſtivum Cl. Heiſter.* ex ungt. baſil. bals. Arcæi ā. ℥j. & ▽ni ☍ ovor ā. ʒj. compoſitum; item *Eſſent. balſ. Stahlij* quæ ex Eſſent. ſuccin ʒjjj. maſtich. ʒjj. myrrh. ʒj. & hyper. ʒß paratur & inſignem mundificandi vim habet. Nec ſpernenda quoque ſunt ſimplicia, præſertim vegetabilia traumatica, inter quæ laudari meretur *ſymphytum majus*, pro internis & externis uſibus de quo notatu, dignum eſt, quod Felix quidam Medicus Practicus hujus loci, Patronus meus colendus mecum communicavit, quod nempe radix ſymph. recens ulceribus ac tumoribus in ulcera degenerantibus impoſita, ea non ſolum aperiat, ſed & aperta mundificet, ac ad conſolidationem promoveat, nullis aliis quam competente diæta adhibitis remediis. Tantum.

ἘΠΙΜΕΘΡΑ.

Nullum corpus per ſe eſt leve d. omne etiam leviſſimum gravitat.

A gravitate quorundam Medicament. uti ☿rii, vis dependet Medica.

Sic & pro varia figura ſua, hæcce varios effectus exerunt, ex quo qualitates occultæ maximam partem claræ ac manifeſtæ fiunt.

Ab Harmonica corporum conſtitutione plurimi oriunrur morbi epidemici.